



COLLOQVIVM VNDEVICESIMVM

*Persōnae: Fabia, Cornēlius*

Cornēlius iam domī est apud Fabiam uxōrem, quae marītum ad-  
esse gaudet. Post merīdiem marītus et uxor in ātriō Sextum,  
fīlium suum, exspectant.

Fabia: “Ō, quam sōla hīc eram sine tē, mī Cornēlī! Sed iam  
gaudeō tē mēcum esse.”

Cornēlius: “Ego nōn minus gaudeō mē esse domī apud tē, uxō-  
rem meam amantissimam. In urbe Rōmā male mē habeō, sed  
Tūsculī semper dēlector domō meā pulcherrimā...”

Fabia: “Num domō tuā plūs dēlectāris quam uxōre tuā?”

Cornēlius: “Scīs nihil ā mē plūs amārī quam tē, mea Fabia. Hāc  
domō dēlector et quia ipsa per sē pulchra est et quia hīc  
uxōrem meam pulcherrimam aspiciō.”

Fabia: “Mē quoque dēlectat domus nostra, quamquam minor est  
quam aliae domūs nec signīs deōrum ōrnātur.”

Cornēlius: “Sciō multās domōs Tūsculānās et māiōrēs et meliō-  
rēs esse quam nostram atque columnīs et signīs pulchriōribus  
ōrnārī, nec tamen haec domus mihi vidētur minus pulchra esse.  
Domūs hominum dīvitum signīs deārum magnificīs ōrnantur  
— domus mea fēminā ōrnātur optimā et pulcherrimā!”

rēs pulchra (esse)  
mihi vidētur =  
rem pulchram  
esse putō

Fabia: “Verbīs magnificīs scīs tū laudāre et uxōrem et domum  
tuam, Cornēlī. Mihi quoque haec domus pulchra vidētur, nec

ūllum peristylum flōribus pulchriōribus ōrnātur quam nostrum;  
sed hoc ātrium nimis obscūrum est.”

Cornēlius: “Cum sōl lūcet, ātrium nostrum satis clārum est. Iam  
vērō caelum nūbibus ātrīs operitur, itaque obscūrum est  
ātrium.”

Fabia caelum obscūrum aspicit et “Rēctē dīcis” inquit, “Sed,  
nesciō quōmodo, merīdiē prope tam obscūrum est quam  
vesperī.”

Cornēlius: “Nōn merīdiēs, sed hōra septima est.”

Fabia: “Iamne hōra septima est? Ubi igitur est Sextus? Nōn  
multō post merīdiem ē lūdō redire solet. Quid eum in viā  
agere putās?”

Cornēlius: “Nesciō. Sunt puerī puerī...”

Fabia: “At Sextus semper rēctā viā domum redit.”

Cornēlius: “Sī improbī sunt discipulī, ūsque ad hōram septimam  
in lūdō tenentur ā magistrō.”

Fabia: “Sextus nōn est discipulus improbus. Praetereā ille lūdī  
magister pigerrimus numquam discipulōs suōs post merīdiem  
tenet: hōrā sextā omnēs domum remittit, neque eōs post  
merīdiem revenire iubet — ut aliī magistrī.”

domum = ad  
domum

Cornēlius: “Ego nōn putō pigrum esse magistrum Sextī. Certē  
nōn optimus est magister, sed tamen melior est quam tū putās.  
Nōnne filium nostrum bene legere, scribere, computāre  
docet?”

Fabia: “Sextus discipulus industrius ac prūdēns est, ut scīs; ergō  
bene discit, quamquam male docētur ā magistrō pigrō atque  
stultō!”

Cornēlius: “Ita sunt matrēs discipulōrum: sī filii eārum male  
discunt, magistrum accūsant ‘eum’ que ‘male docēre’ dīcunt;  
sī autem bene discunt filii, nōn magistrum, sed discipulōs  
laudant.”

Fabia: “Nōnne licet mihi laudāre Sextum? An putās tuum  
Sextum malum esse discipulum?”

Cornēlius: “Id nōn dīcō. Sciō Sextum bonum discipulum esse,  
nec vērō Diodōrum malum esse magistrum putō.”

Fabia: “Cūr igitur alii parentēs filiōs suōs ad aliōs magistrōs  
mittunt?”

Cornēlius: “Nōn omnēs id faciunt. Filii Iūlii ab eōdem magistrō  
docentur ac filius noster.”

Fabia: “Sciō Diodōrum adhūc quattuor discipulōs habēre, quōrum  
duo sunt filii Iūlii; sed ante paucōs mēnsēs octō discipulōs  
habēbat. Iamne intellegis malum esse magistrum, quī ā  
discipulis suis relinquitur?”

Cornēlius: “Certē nōn pēior lūdī magister est Diodōrus quam ille  
quī mē Rōmae docēbat.”

Fabia: “Neque Sextus, ut ego putō, pēior discipulus est quam tū  
apud magistrum tuum erās.”

Cornēlius: “Ergō optimus discipulus est Sextus!”

Fabia: “Hīs verbis nōn modo Sextum, sed etiam tē ipsum laudās,  
Cornēli.”

Cornēlius: “Ego ipse nōn plūs mē laudō quam magister meus mē  
laudābat: semper enim dīcēbat ‘optimum mē esse discipulum’.”

Fabia: “Itane dīcēbat magister tuus?”

Cornēlius: “Ita, atque vērē dīcēbat; nam cēterī discipulī omnēs  
pēiōrēs erant: male computābant, male scrībēbant, male reci-  
tābant, quia cotīdiē in lūdō dormiēbant nec magistrō pārēbant  
— ego sōlus bene computābam, bene scrībēbam, bene recitā-  
bam, quia numquam in lūdō dormiēbam, sed omnia verba  
magistrī audiēbam et semper eī pārēbam!”

Fabia: “Sī hoc vērū est, tū certē optimus erās omnium disci-  
pulōrum!”

Cornēlius: “Rēctē dīcis, Fabia: ego optimus discipulus eram!”

- Fabia: “Tacē, Cornēli! Nōn oportet sē ipsum ita laudāre. Num verē eōdem modō ā magistrō tuō laudābāris?”
- Cornēlius: “Iis ipsīs verbīs laudābar ā magistrō meō. Sed iam taceō. Hoc tantum addō: Cum ita mē laudō, simul laudō magistrum meum; ego enim bonus discipulus eram et bene discēbam, quod ab optimō magistrō docēbar.”
- Fabia: “Cūr cēterī discipulī tam male docēbantur ab illō magistrō optimō?”
- Cornēlius: “Nōn male docēbantur, sed tamen male discēbant, quia ipsī tam pigri erant quam filius Iūlii.”
- Fabia: “Utrum filium dīcis, māiōremne an minōrem?”
- Cornēlius: “Fīlium eius māiōrem dīcō, eum cui praenōmen est Mārcus.”
- Fabia: “Rēctē dīcis, Cornēli. Is enim discipulus omnium pigerrimus est atque tam stultus quam puer barbarus!”
- Cornēlius: “Nimis sevēra es, Fabia. Discipulum pigrum esse Mārcum sciō — Iūlius ipse id dīcit —, nec tamen putō eum stultiōrem esse quam cēterōs discipulōs.”
- Fabia: “Ergō Mārcus, putō, tam prūdēns est discipulus quam Sextus noster! Nōnne tibi satis est laudāre malum magistrum — etiamne discipulum eius pessimum laudāre audēs? Verbīs tuīs laudantibus omnēs rēs in contrāriam partem vertis!”
- Tum Cornēlius rīdēns “Id nōn dīcis” inquit “cum pulchritūdinem tuam laudō!” — sed eō ipsō tempore ātrium illūstrātur clārisimō fulgure atque māximus tonitrus audītur. Verba Cornēlii propter tonitrum ā Fabiā nōn audiuntur.